

uxore et exercitu suo maximus dux
 Cumanarum, cujus filiam bone indolis
 Stephanus primogenitus regis Ungarie
 iam coronatus in regem et ordini modo !
 valde devotus in uxorem accepit

Dicti autem magistri Humberti instantia,
 domino Alexandro papa IIII favente, christianissimo
 Francorum rege Ludovico juvante, dissencio
 que inter magistros et fratres Parisiis orta
 fuerat, ad honorem Dei et ordinis est sopita
 Item littera quedam, que a domino
 Innocentio papa IIII data fuerat contra ordinem,
 ipso infra paucos dies defuncto, a domino Alexandro
 predicto in principio sui regiminis, revocatur. Cum
 enim dictus magister Humbertus ad beatam
 Virginem, nostri ordinis patronam devotissime
 confugisset, ipsa expedit velociter quod hominibus
 quidem impossibile videbatur

Eodem tempore pater Johannes de
 Columpna prior provincialis Tuscie fit
 archiepiscopus Messane; cui frater Nicolaus
 de Jovenacio, vir literatus et religiosus et
 graciosissimus predicator in prioratu succedit
 sed cito migrans ad Christum, fratrem Thomam
 de Lentino predicatorem in prioratu habuit
 successorem.